

benignusve dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item justitia nihil expetit praemii, nihil pretii. Per se igitur expeditur. Eademque omnium virtutum causa atque sententia est. Atque etiam si emolumentis, non suapte natura virtus expeditur, una erit virtus, quae malitia rectissime dicetur. Ut enim quisque maxime ad suum commodum refert, quaecumque agit, ita minime est vir bonus; ut, qui virtutem praemio metiuntur, nullam virtutem, nisi malitiam putent. Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsum cernunt grati, cui referunt gratiam? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus et abjiciendus est, desperatis emolumentis et fructibus. Quo quid potest dici immanius? Quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum, et aequalitas, et justitia, per se expetenda. Quod ni ita est, omnino justitia nulla est. Id enim injustissimum ipsum est, justitiae mercedem quaerere.

Quid vero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore, pudicitiaque dicemus? infamiaene metu non esse petulantes: an legum et judiciorum? Innocentes ergo, et verecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumore bonum colligant? Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia. Ac me nimis istorum philosophorum pudet, qui nullum vitium vitare, nisi iudicio ipso notatum, putant. Quid enim? possumusne eos, qui a turpitudine arcentur infamiae metu, pudicos dicere, quum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur? Nam quid aut laudari rite, aut vituperari potest, si ab ejus natura recesseris, quod aut laudandum, aut vituperandum putes? an corporis pravitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis: animi deformitas non habebit? cujus turpitudine ex ipsis vitiis facillime perspicitur. Quid enim foedius avaritia, quid immanius libidine, quid contemptius timiditate, quid abjectius tarditate